

## De errore communi in iure romano et canonico

**P**ULCHERRIME atque accurate Romae Pontificii Athenaei Antoniani Typis editam, classici iuris interpretis vices agens, sub titulo «DE ERRORE COMMUNI IN IURE ROMANO ET CANONICO», nuper scripsit P. *Felix Antonius Wilches O. F. M.*, operam quae quidem nullis eget praeconiis, immo vero iuris studiosorum, tum canonici cum romani, admirationem arripit.

Nobis forte verendum est ne limitibus suis praefixis haec notitia excedat, tamen, ut huius operis obiectum omnino pateat, non poussumus quin haec memoranda ipsius auctoris verba infra statim transcribamus:

«Iurisdictio sive ordinaria sive delegata potest esse iudicialis et voluntaria. Prima tantum disceptationes stricta forma iudiciali peragendas respicit; voluntaria-exercetur circa omnia, quae ad res non iudiciales pertinent. In hoc sensu potestatem legislativam et gubernativam importat.

«Sed, cum inter homines saepe accidit, quosdam mala vel bona fide sibi munus arrogare cuius exercitium reapse sibi commissum non habent, nihil impedit quominus in Ecclesia de facto dentur qui superioris publici instar actus iurisdictionales ponant, nulla tamen pollentes auctoritate. Si hoc fieret in rebus quae ad sacramentum Ordinis spectant, profecto actus tali modo positi irriti essent atque Ecclesia sua potestate damno fidelium hac simulatione exorto impar est subvenire. Sed, si de regiminis actibus agitur, negari non potest quin Ecclesia, a qua modi iurisdictionis obtinendae profluunt, potestatem iurisdictionis conferre possit extraordinario modo illis qui, ordinariis viis ad potestatem obtinendam praetermissis sive dolo sive ignorantia, actus publici regiminis exercent. Si ita facere in quibusdam casibus decrevit, exinde eam fraudem patrocinare dicere nemini licet, quippe quod non

iteresse eius qui iurisdictionem anormaliter exercet sed publicam utilitatem prae oculis habeat Ecclesia.

«Ad hunc modum extraordinarium conferendi iurisdictionem pertinet illud valde notum institutum iuridicum, quod in errore communi nititur et in c. 209 C. I. C. exprimitur: «In errore communi...iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno». En obiectum huius tractatus».

Tantae eruditionis et mirabilis iuridicae armoniae opera, nisi acerrimo studio recte indicare non potest. Quamobrem verecunde admodum non tamen sine ratione, necessitate in super quam citius lineolas has praelo commitendi compulsi, iamiam asserere possumus—propter strictam eius logicam, propter diligentissimas historicas pervestigaciones quae quidem scientificum ei fundamentum conferunt (quibus magister peritissimus excellit auctor), maximeque vero propter sapientem applicationem artistici (sit venia verbo) romani iuridici sensus in salebrosa quaestione iurisdictionis suppletae, errore communi accedente, praedictam operam inter praeclariora scientiae iuridicae monumenta adnumerandam merito esse. Neque silendus est honos inde partus nomini columbiano qui ad maiora, nobili stimulo, iurisperitos nostros provocabit conscribenda.

Est igitur libri lectio, quam Virginis a Rosario Collegii Iurisprudentiae Universitatis alumnis magnopere suademus, perutilisima, non solum iuris canonici atque romani, verum etiam iurisprudentiae studii gratia, nam iurisperito non tantum singulare vel definitum problema interest, quantum modus id solvendi, videlicet, criterium quo enucleatur quaestio vel suprema ratio quae, undique intuens, universalem instam et perennem «CONSTANT DU DROIT»: iustitiae principium indigitat.

Liceat nobis P. Felici Antonio Wilches O. F. M. et dilectissimo Ordini Fratrum Minorum quam maximas agere congratulationes.

THOMAS LOMBO